



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-208031-p0001-8

DFG

6
1769.36.
4
PROCANCELLARIUS
D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.

CVRIA IN PROVINCIA SVPREMÆ. IUDIC. LVSAT.

INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVDI. ASSESS.

ET ACADEMIAE DECEMVIR.

P. A. H. 10
SVMMOS IN IVRE VTROQVE HONORES

PRAENOBI LISSIMO CANDIDATO

CAROLO BENIAMIN STAFFEL

DRESDENSI

DIE XXVIII. SEPTEMBRIS CIDIQCCLXIX.

TRIBVENDOS INDICIT

QVAESTIO

An ob sponteana delinquentis, post tormenta superata, confessionem, poena
ordinaria locum habeat.



TRAGEDIE
D. LUDWIGI GOTTLIB. SOFFER

COPIA LIBRARIA
SOCIETATIS IMPERIALE
ACADEMIAE VENETA
EX LIBRIS M. J. G. H. D. C. S.

SABINUS IN TATE ALTOBOH HONORES

LASTIMONIUM CAVENDISH

CABOLOPINTHIA SITATILLI

FRANCISCA CAVENDISH



§. I.

Omnen definitionem in iure periculosa esse testatur Ictus l. 202. ff. de diu. regul. iur. parum enim in ea est, vt non subverti possit. Quod si definitionem, vt menti Icti conueniat, pro decisione caussae accipimis, non solum ex natura Iurisprudentiae probatur, sed quotidiano rerum vsl quoque confirmatur. Qum enim minima circumstantia variet rem, saepiuscule prae sumptionibus, quae circa caussam obuersantur, decisionem incertam suppeditamus. Exinde fit, vt opiniones D. D. quamuis auctoritatis prae iudicio nitantur, in foro triumphant, ac pro recepta habeantur sententia. Hoc fatum Iurisprudentia quoque criminalis, quae partem civilis non quidem intuitu actionum, sed respectu principis, et subditorum efficit, animaduertit. Quem enim fugit, in hac doctrina multas occurtere quaestiones, quae, qum dubitationibus sint expositae, iudicem in pronuntiando, in hanc

A 2

vel

IV

vel illam trahant partem, iudiciumque eius reddant incertum? Quam ob causam nec omnibus delictis certa a legislatore imponi potest poena, sed iudicis arbitrio relinquitur, ut is grauitatem delicti perpendat, et quomodo dolus, vel culpae gradus emendationem promereatur, definiat. Obtinebat hoc iure Romano tam in Processu accusatorio, quam inquisitorio. De Processu inquisitorio dum hoc adfirmo, forte offendere videor eos, qui negant Processum inquisitor. apud Romanos existisse. Scio etenim bene, eruditos de hac materia non exiguum mouere dissensum, et l. 13. ff. *De offic. Praefid. ad casum tantum specialem applicare.* At distinctionem non rite adhibuisse illos quidem, censeo, inter notionem iurisdictionis, ac meri imperii. Illa iur. Rom. cuiilibet iudici, rite constituto competebat, hoc vero tantum illi, cui lex gladii gerendi dabat potestatem. Quia potestate concessâ iudex de delictis cognoscebat, quae, deficiente accusatore, per denuntiationem quoque in iudicium deferri, et ex officio a iudice inquire poterant. Probat hoc l. 1. C. de Custod. Reor. In quaunque, ait Imperator, causa reo exhibito, siue accusator existat, siue eum publicae sollicitudinis cura produxerit; statim debet quaestio fieri, ut noxious puniatur, innocens absoluatur. Confirmat et eandem sententiam l. 1. C. de Accusation. vbi Imperator disponit, vt ea, quae per officium Praefidibus denuntiantur, citra sollemnia accusationum possint perpendi. Interim tamen non alienus sum a Thomaſio, qui in dissertatione de Orig. Process. Inquisitor. inquisitiones iur. Rom. non tam frequentes fuisse, optimo iudicio defendit. Haud exiguis datur dissensus, ancesque obuersatur decisio, tam, quoad certitudinem corporis delicti, quam eruenda veritatis medium. Saepiuscule enim in indagandis indiciis, nobis quaedam dicuntur specialia, quae tamen, si paullo penitus considerentur, pro talibus

libus haberi nequeunt. Vnicum tantum, et quod frequen-
tissime contingit, recensere licebit. In crimine scilicet in-
fanticidii, ab experimento pulmonum consueto indicium
certum desumimus, et si aquae, cui iniici solent pulmones,
innatent, vixisse infantem, manuque violenta periisse iudica-
mus. Sed quis non animaduertit, fallax, vanumque, nec
idoneum ad demonstrandam infantis caedem, esse argumen-
tum, quum saepiuscule euenire soleat, ut pulmonum in par-
tes dissectarum aquae innatent particulae aliae, aliae subsi-
deant. Placet hac in causa iudicium Heili, qui cap. 1. §. 7.
p. 7. si quid ex pulmonis experimento probari debeat, id poti-
tus ad innocentiam matris ex submersione probabiliter con-
siderandam, quam ad violentam partus caedem, ex natatione
demonstrandam, facere posse, putat, *Conf. Schoepferi Dissert.*
De Pulmone infantis natante, vel submergente. Idem et obuen-
it circa torturam, quam eruenda veritatis causa adhibe-
mus. Haec, vti per se iniqua, et ex foris Christianorum,
quod optime Thomasius demonstrauit, penitus proscriben-
da, saepius iudicem haesitantem efficit, et reos, qui inno-
centiam alias probare nequeunt, reddit infelices. Sic in
causa infanticidii, homicidii, furti, saepius dantur indicia,
quorum veritas, legibus sic iubentibus, tortura eruenda est:
nihilominus tamen rei innocentes esse possunt, qui vero,
quum probationem contrarii liquido suppeditare nequeant,
cruciatus subiiciuntur. Inde fit, ut metu torturae, et ad
euitandos cruciatus, delictum, quod non commiserunt, con-
fiteantur, et poena vel capitali, vel alia graui, summa cum
inuria adficiantur. Non deficiunt exempla, quibus asser-
tum illustrare possem, ast quum alio loco prolixiori stilo de
hac materia erit agendum, silentio in praesentia hoc omitto,
et de casu tantum speciali, nondum vero deciso, quaedam dis-
seram. Titius, qui ex capite furti in inquisitionem incidit,

ob indicia contra illum militantis, legibusque probata, torturae subjicitur: nil confiteratur, sed cruciatus aequo fert animo, et, ut pro innocentie habeatur, efficit. Accedit vero paullo post torturam peractam, iudicium, et furtum, quod antea negauerat, sponte profitetur. Vtrum poena ordinaria sit adficendus, an ob cruciatus, quos semel passus est, ab ea sit immunis, mouetur dubium.

Posterior sententia, si indolem Process. Inquisitor. patiter, quam naturam rei consideremus, adplausum mereri videtur. Certissimum est, delinquentem, qui sub tormentis nihil confitetur, ab inquisitione, nisi quid, propter quod mereatur poenam, remaneat, ipso iure absolu, ac pro innocentie haberi. Quamuis enim sententia iudicis sequatur, istamen sua auctoritate absolutionem non tribuit, sed tantum, quia formalia Process. Inquisitor, id desiderant, effectum, quem leges delinquenti, torturam passo, tribuant, declarat. Nec obstat, quod M E N O C H. L. 1. de Praefumt. quæst. 93. in fin. Z A N G E R in Tract. De Quæst. et tortur. c. 5. num. 1 et 2. reum tortum, etiam si in negando persistenter, potius ab instantia, et observatione iudicii, quam definitiue absoluendum esse suadeant: ratio enim decidendi, quod nempe inventis postea nouis indiciis, vel probationibus certis, et indubitatis, in vindictam publicam denuo capi, et torqueri queat, nil efficit; quum absolutio semper, rebus sicstantibus, et vti acta desiderant, sit intelligenda. Peracta itaque inquisitione, veritateque rei detecta, sola confessio postea contingens mutare causam non potest, praesertim quum contra reum, quod ex taedio vitae eadem proficiuntur, praefumtio militet.

Non enim cogitari potest, homo, qui, dum immunitatem poenae per tormenta, quae constanti supersuit ^{enim}, est consequitus, contra se ipsum agere, et confitendo,

do, id, quod sub tortura negauit, poenam capitalem, sponte adpetere velit; quum vitae conseruationem mortalibus suadeat natura. Quibus praestructis, confessio delinquentis post crucifixus facta non meretur fidem, sed an veritati conueniat, dubium remanere videtur. At quum in dubio l. 56. ff. de Diu. R. I. benigniora sint praeserenda, afflictione maiorem ut addamus afflictionem, iura haud concedant, non immerito colligi potest, ad perseuerantiam animi, quam delinquens sub tortura exhibuit, esse solummodo perspiciendum, indeque iudicium caussae ferendum.

Quae argumenta aequitatis rationi quamuis conuenire videantur, mihi tamen nondum satisfaciunt, quum aliae eaedemque maiores reddi possint rationes, quae contrarium suadeant. Praesumimus scilicet innocentiam delinquentis, qui sub tortura delictum non confitetur, sed crnciatus, quos sententia iudicis iniungebat, superat: de veritate enim nondum sumus certi, quum et saepiuscule malevolus homo, ad poenam, tanquam maiusmalum, effugientiam, dolores, quos tormenta excitant, patiatur. Praesumtio eum producit effectum, vt caussa, donec existat contrarium, habeatur pro vera. Nec valet sententia DD. qui praeumptionem iuris, et de iure a probatione contrarii eximunt. Quamuis enim non negamus dari praeumptiones quasdam, vbi sit probatio contrarii difficultis, nec tamen valet regula, nullam probationem in contrarium habere locum. Repugnat enim hoc naturae praeumptionis, quae in eo versatur, vt in dubio rem pro vera habeamus, quia de veritate aliunde non constat. Conff. C A R P z. P. II. C. Ele^{ct}. II. def. 8. B E R G. in Oeconom. Iur. L. IV. t. 24. th. I. not. 2. Quid autem veritati proprius accedere, eandemque confirmare

mare magis potest, quam si delinquens, superatis tormentis, sponte ad iudicem accedens, negatione reuocata, delictum, eiusque circumstantias, conscientia quippe commotus, sponte confitetur? Neque animaduerto differentiam inter confessionem inquisiti, ante, et post torturam factam. Prior, si de certitudine corporis delicti constat, poenam ordinariam operatur, cur posterior non eundem habeat effectum, ratio adaequata dari haud potest. Ad dolores, quos sub tortura passus est delinquens, non opus est, ut respiciamus, nec offendimus principium iuris, quod, ut adfictio semel maior addatur adfictio, prohibet. Malum enim, quod suam culpam, et mendacium sibi contraxit, non meretur misericordiam, multo minus indulgendum est illi, qui vera, quae dicere debebat, retinuit. Accedit et aliud, quod pondus rei adfert. Reus nempe, qui sub tortura nihil confiteretur, nihilominus, nouis, iisque grauioribus ortis indicis, denuo tormentis subiici potest. *Ait enim Paulus l. 18. §. 1. ff. de Quæst.* Reus evidenteribus oppressus argumentis repeti in quæstionem potest, quam sententiam et Nem. Carol. Art. LVIII, per verba viel oft oder wenig confirmat. conf. CARPZ. Pr. Crim. Qu. 125. n. 41. Ratio decidendi, cur repetitionem torturae leges permittant, certe ea est, quia adsunt probationes, quae probationem innocentiae, pro reo militantem, penitus elidunt. Hinc si indicia emergentia non maioris sint ponderis, quam ea, ob quae reus torturam passus, quum salua maneat praesumtio, nouis cruciatibus subiici nequit. Quod si itaque noua indicia, quae tamen existentiam delicti non reddunt certam, id efficiunt, ut reus rursus torqueri possit, multo magis ipsa confessio rei in iudicio facta, quæ *l. 1. ff. de Confess. l. 1. vn. C. eod.* plenissime probat, id operatur, ut, quum de

de commisso delicto non sit amplius dubitandum, poena ordinaria habeat locum. Id quod maiorem meretur ad placsum, dummodo perpendere velimus, interesse reipublicae, ne delicta maneat impunita, omnemque adeo euitandam occasionem, quae delinquentibus, ut leges euerant, praestet patrocinium.

At si meam de hac re dicere liceret sententiam, quum vtique adhuc disceptationibus exposita videatur causa, media quadam via incedendum suaderem; remotaque nimirum poena ordinaria, extraordinaria adisciendum censerem delinquentem, qui mendacio, quo minus veritas rei detegetur, iudicem haesitantem reddere voluit. Ita enim coeretur dolus, et res publica, cuius securitatis causa poena inuenta, satisfactionem accipit.

Plura adhuc adferre possem, nisi ad illud, cuius causa haec conscripta sunt, esset properandum. Indicendus nempe est dies, quo Viro Praenobilissimo CAROLO BENIAMIN STAFFEL summi in utroque iure honores sunt tribuendi, cuius, vt ipse conscripsit, vitae curriculum praeprimis adponere licebit.

Ego CAROLVS BENIAMIN STAFFEL, natus sum Dresdae Anno 1746. d. 31. Ian. patre superflite, IOANNE GODOFREDO STAFFELIO, a consiliis principis in curia prouocationum, et matre CHRISTIANA DOROTHEA, ex gente ABILGARIA, cuius optima educatione quum Anno 1761. morte praematura essem priuatus, anno

B

se-

*sequenti traditus sum a dilectiss. parente, disciplinae Portensi, aut
 potius optimis Viris, WALTERO Inspector, nunc Superin-
 tend. Neustadiensi, et HVB SCHIO, Mathematico, quorum
 maxima, et innumera in me beneficia nulla unquam ex animo de-
 lebit obliuio. Non solum verum horum doctrina usus, sed etiam
 a GRABNERO, Rectore optime merito, BECKERO,
 Correctore, HENTSCHELIO, GEISLERO, et FER-
 BERO bene institutus, et ad studia Academica praeparatus sum,
 de quorum omnium insigni in me amore, et maximis in me colla-
 tis beneficiis, publico hocce documento gloriari licet. Horum enim
 cura, atque diligentia factum est, ut, quum ipsis humanitatis stu-
 diis satis instructus esse viderer, anno huic Seculi LXVI ad ma-
 iores doctrinae thesauros colligendos, Lippiam accederem: Rempu-
 blicam tunc temporis litterariam administrabat BELIVS, qui
 etiam Albo Academiae me inseruit. Quo facto quum animum ad
 studia Philosophica applicarem, praeter GELLERTVM,
 in praceptoribus moralium, usus sum in primis doctrina SETDLI-
 ZII. Maxime vero gratulor mihi in Iur. Canon. HOMME-
 LIVM, quem scripta publica immortalem dudum reddiderunt,
 ac ZOLLERVM in Iur. Criminal. praceptores habuisse, at-
 que BAVERI praelectionibus Iur. Feudal. interfuisse. Neque
 minus me obstrictum sentio SEGERO, cuius institutionibus di-
 ligentissimis aequae, ac priuatis sermonibus omnia, quae in arte
 relationes ex actis confiendi praefeo, debere laetus fateor.*

Prae-

*Praeter hos vero BREVNINGII scholas Institutt. Pandectar. Iur. Natur. Histor. Iur. atque doctrinae de causis in foro peragendis, frequentaui. RICHTERI doctissimis exercitatio-
nibus disputatoriis, non nisi summa cum animi voluptate in-
tersui. In Historia vero Imperii, et Iur. Feudal. opera usus
FRANCKII, quo in Iure et mihi SAMMETIVS prac-
ceptor fuit.*

Hic studiis instructus, ordinem nostrum adiit, et ut ipsi Doctoralis dignitas conferatur, decenter petiit. In utroque examine talem se nostris votis praebuit, ut omnium consensu, praefitis prius praestandis, hac dignitate ornandus esse vi-
deretur. Explicabit itaque d. XXVII. Sept. hora a meridie secunda in Auditorio ICtorum l. ro. C. de legit. hered. die que sequenti Praesid. Viro Illustri D. HENRICO GODO-
FREDO BAVERO, Iur. et Philosoph. Doct. Institutt. Ante-
cessor. Ord. Supr. Cur. Provinc. et Colleg. ICtor. Adsest.
Colleg. Minor. Princip. Coll. Dissertationem, de emandan-
do Iure Criminali, publice defendet.

Quibus peractis Vir Illustris atque Excellentissimus D.
TRAVGOTT THOMASIVS, Domin. Heredit. Abtnauen-
dorf. Ordinis nostri Senior meritissimus, Collega, quem ma-
xime veneror, cui ego vices Promotoris commisi, summos
in utroque iure honores, excepta spe, ad sessionem et suffra-
gia in nostro Collegio adspirandi, ei tribuet.

XII

Cui actu Vos RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, ILLVSTRES VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI denique, NOBILISSIMIQUE Commilitones, frequenter adesse, et eum vestra praesentia splendidior rem reddere velitis, omni, qua decet, obseruantia rogo. Scribebam d. XXIV. Sept. MDCCCLXIX.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



ULB Halle
004 053 532

3



88





PROCANCELLARIUS

D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL.

CVRIA IN PROVINCIA SVPREMAE. IVDIC. LVSAT.

INFERIOR. NEC NON FACVLT. IVRID. ASSESS.

ET ACADEMIAE DECEMVIR.

SVMMOS IN IVRE VTROQVE HONORES

PRAENOBILISSIMO CANDIDATO

CAROLO BENIAMIN STAFFEL

DRESSENSI

DIE XXVIII. SEPTEMBERIS CICIOCCLXIX.

TRIBVENDOS INDICIT

QVAESTIO

An ob sponteana delinquentis, post tormenta superata, confessionem, poena ordinaria locum habeat.

